

Plerrooft

Von der  
Vocation  
unter der  
Schürtre.  
1733.





2  
V. Nr. 2867  
1774  
GOTTLIEB SLEVOGTII, D.

COMIT. PALAT. CAES. ET CVRIAE PROVINC.

ADVOCATI ORDINARII, CET.

MEDITATIO IVRIS SACRI

DE

VOCA T I O N E

AD PASTORATVM


SVB CONDITIO NE MATRIMO-

NII, CVM DEFVNCTI PASTORIS VIDVA

AVT FILIA INEVNDI.

Oder:

Von der Vocation unter der Schürcke.



CVM CENSURA SUPERIORVM.

IENAE, APVD IO. FRIDERICVM RITTERVM,

A. O. R. M DCC XXXIII.

Kv 2867

GOTTFRIED SIEVOGTTI.D.

COMIT. PABE GALL. ET CARLIA PROVINCA.  
AD SOCIET. CIVITAT. SIBI.

MEDITATIO VIVAE SACRAE  
DE  
VOCATIONE


AD PASTORATUM  
SIVE CONDITIONE ALIQUA  
AD CIVITATEM SIBI  
SACRAE THEOLOGICAE

AD SOCIET. CIVITAT. SIBI



LEHRE, DIE TO THE CIVITAT. SIBI  
SACRAE THEOLOGICAE





§. I.

*Differentia Quæstionis hujus juridicæ a theologica & morali.*

**Q**uæstio de vocatione sub conditione matrimonii aliter tractatur a theologis, aliter a Doctoribus moralibus, aliter a Iuristis. Isti disquirunt de sanctitate ejusmodi vocationis, an talis pro divina & S. Literis conformi, quæve recta conscientia accipi possit, sit habenda? an juxta regulas prudentiæ pastoralis, tam ratione pastoris, quam ecclesiæ, probanda? Illi disputant de moralitate hujus ad pastorum viam, an ea bonis moribus conveniat; hi vero in justitiam ejusmodi vocationis, *an ea juxta analogiam Juris ecclesiastici*, (de Jure canonico heic non est quæstio, cum id omnia promiscue clericorum damnet connubia) *in ecclesia Evangelica recepti, pro legitima sit habenda?* inquirunt. Quæstionem hanc juridicam jam meam facio, generalia quædam de partibus

tibus vocationis ecclesiasticæ ordinariis ad illustrandam ipsam quæstionem præfaturus.

§. 2.

*Forma constituendi pastorem 1) in ecclesia Apostolica, 2) apud Pontificios.*

Modus constituendi pastorem ecclesiæ alius fuit primo tempore, alius receptus est apud pontificios, alius in ecclesia Evangelica observatur. Tempore Apostolorum, ubi omnia pura adhuc erant, *eligerantur* pastores a cœtu fidelium universo. Exemplum lege *Act. Apost. 1. v. 15.* Electionem sequebatur *vocatio & ordinatio*, jejuniis, precibus, & manuum impositione. *Actor. c. 13. v. 3. c. 6. v. 6. Ep. ad Timoth. 1. c. 4. v. 14.* ubi Apostolus Timotheo suo commendat *ἐπίθεσιν τῶν χειρῶν τῶν πρεσβυτέρων* & *Act. c. 14. v. 23.* dicitur de Paulo & Barnaba: *χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς, πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν*, &c. Quod etiam deinde retentum est. *Brunnem. c. 1. L. 1. c. 5. §. 5. & 8.* Postquam vero ecclesia splendorem magis, quam puritatem amare cœpit, inventæ sunt innumeræ solennitates, quas adhuc apud pontificios observari videmus, & in specie exclusi sunt principes ac reliquus fidelium cœtus a constitutione ministrorum ecclesiasticorum ita, quod

quod Concil. Trid. Sess. 23. c. 4. de Sacram. ordinis statuerit: Docet insuper SS. Synodus, in ordinatione episcoporum, sacerdotum & ceterorum ordinum nec populi, nec cujusvis secularis potestatis, & magistratus consensum s. vocationem s. auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio: quin potius decernit, eos, qui tantummodo a populo aut seculari potestate ac magistratu vocati & instituti, ad hæc ministeria exercenda adscendunt, & qui ea propria auctoritate sibi sumunt, omnes non ecclesiæ ministros, sed fures & latrones, per ostium non ingressos, habendos esse. Quæ autem in eligendis aut postulandis episcopis, consecrandis sacerdotibus, radendis clericis, &c. adhibeantur apud pontificios solennia, huc non pertinent. In nostra ecclesia (inquit B. Hunnius cit. loc. class. 3. num. 6.) concurrere debet universa ecclesia, h. e. omnes ordines, ita, ut ecclesiasticus consulat de persona eligenda; æconomicus approbet, politicus s. magistratus decernat.

§. 3.

VI. Requisita constitutionis pastorum.

In specie VI. requisita constitutionis pastorum ecclesiasticorum introducta apud nos sunt: 1) Nominatio, 2) Electio, 3) Præsentatio,

A 3

4) Con-

4) *Confirmatio*, 5) *Ordinatio*, & 6) *Investitura*,  
*f. Introductio*. *Carpz. Jurispr. Consist. L. 1. def.*  
*22. Dn. Wolff. c. 1. L. 1. c. 5. §. 4. Excell. Böhmerus*  
*de Jure Paroch. Sect. 3. c. 1. §. 11. seqq.*

§. 4.

I) *Nominatio*.

*Nominatio* fit, quando patronus eccle-  
 siæ officii vacantis candidatum in conspe-  
 ctum & auditum fidelium introducit, & ad  
 orationem *δοκιμασθησθαι*, ut ea dotes probet, ad-  
 mittit, utque de eis dijudicet populus, & de-  
 liberet, an velit novum candidatum pro suo  
 pastore agnoscere. Hoc rectissime ex eccle-  
 sia Apostolica adservatur, & populus meri-  
 to gaudet jure *δοκιμασίας*. *Grot. de Summ. Imper.*  
*potestate circa sacra. Brunnem. in Jur. Eccles.*  
*L. 1. c. 5. §. 5. & 15. Carpzov. c. 1. L. 1. def. 37.*  
*Joh. Godofr. Kraus. disp. de concione docimastica,*  
*Prob-Predigt. Viteb. 1720.* Consistit hoc jus  
*δοκιμασίας* in voto informativo, quo populus  
 per episcopum suum *f. Superintendentem*,  
 & reliquos primarios suos, patroni, de can-  
 didati habilitate interrogantis, votum ele-  
 ctivum informat, h. e. judicium suum de  
 candidato aperit. *Carpz. c. 1.* & quia Superin-  
 tendens non tantum primarium ecclesiæ  
 membrum est, sed & optime de habilitate  
 candi-



candidati judicare potest, incumbit ei, reliqua ecclesiae membra explorare; an eis placuerit candidatus! an consentiant in futuram vocationem, nec ne! qua explorata populi voluntate, adit is cum aliquot primariis patronum, eique suum & populi iudicium declarat, & hoc est votum informativum, quod non est decisivum, sed consultativum, & per excellentiam Superintendenti tribuitur. Votum autem hoc necessario praecedere debet concio *δοκιμασμή*, cum ex ea judicare debeat populus de candidati habilitate; hinc ea omissa, vocatio sequens est nulla. *Carpz. c. l. def. 23. & 24.* Licet a. votum hoc jus approbandi aut reprobandi electum a patrono, ecclesiae reservatum, involvat, juxta *B. Lynckium ad Decretales Tit. de cler. peregr.* manet tamen consultativum, ita, vt dissensus populi (imprimis, si praegnantibus causis est destitutus. *Carpz. c. l. def. 32.*) haud impediatur electionem patroni. Hinc *Sereniff. elector Brandenb. in resol. statibus provinc. an. 1653.* data sancivit: *Die Inspectores in denen Städten können in vocatione der Schul- und Kirchen-Diener, ihnen kein Votum, welches so viel als des gantzen Raths (jure patronatus gaudentis) gelten solte, zueignen, sondern in dubio haben sie*

ſie vielmehr ein votum conſultativum, als deciſivum, und werden ad dandum conſilium, nicht aber ad ferendum ſuffragium, adhiberet; referente B. Stryckio ad Brunnem. L. 1. c. 6. membr. 12. & §. 16. conf. Illuſtr. Dn. Wildvogel diſp. de voto informativo. B. Brunnem. L. 2. c. 8. §. 9. Hodie vota populi ſ. cœtus fidelium in eligendo paſtore multis in locis vix umbratica ſunt.

## §. 5.

## 2) Electio. 3) Præſentatio.

Approbatum candidatum 2) eligit patronus, mittendo ei literas vocationis, (vocation non ſemper cohæret juri patronatus, ſed parœcianis aut ſenatui competere pot eſt. Inde a jure vocandi ad jus patronatus non valet conſequentia. Bæhmer. c. 1. Sect. 3. c. 1. §. 12.) quas ſi accipit candidatus, & factæ electioni ſubſcribit, tunc 3) præſentatur per patronum, literis vocationis inſtructus, epiſcopo, quod non intra certos menſes reſtrictum eſt, ſit tamen plerumque ſub finem anni vel ſemestris gratiæ, des Gnaden-Jabres, Brunnem. c. 1. L. 1. c. 5. §. 17. Scilicet quia, ſi ante anni gratiæ effluxum præſentaretur candidatus, tunc neceſſe haberet patronus, ad interim candidato extraordinarium ſubſidium

fidium procurare, cum reditus ordinarii ad defuncti pastoris viduam, durante anno gratiæ, pertineant. Quod vero in præsentando candidato concurrere debeat Superintendentens, referente *Carpz. c. l. def. 46.* id non est universale, sed iis tantum in locis observatur, ubi Superintendentes præsentationem hanc simultaneam vel præscripserunt, vel ex ordinat. Ecclesiæ quæsiiverunt, utile tamen id esse, recte putat *Brunnem. c. l. §. 18.* imprimis, cum ipse *Carpz. def. seq. 47.* asserat, etiam in Saxonia quandoque solum patronum præsentare. Sicut autem apud pontificios præsentatio patroni in episcopis locum non habet, *B. Ziegler. ad Lancellot. L. 1. T. 28.* ita nec apud nos patroni Superintendentes præsentare possunt, cum hi immediate eligantur & constituentur a principe. *Carpz. c. l. def. 19. Brunnem. L. 2. c. 8. §. 21.* Notandum præterea, patronos non semper illi religioni addictos esse oportere, cuius esse debet candidatus: similiter quoque patronus Lutheranus potest clerum pontificium præsentare. Eiusmodi vero patronis scripta est regula in *R. J. d. an. 1555. §. als auch den Stændten,* apud *Brunnemann. L. 2. c. 8. §. 19.*

B

§. 6.

## §. 6.

4) *Confirmatio.* 5) *Ordinatio.*

Determinatur autem jus patronatus in *præsentatione*, & postquam præsentatus coram episcopo s. Superintendente comparuit, examinatur, & juramento ad observantiam librorum symbolicorum adstringitur. Valde hoc displicet *Illustr. Thomasio in Rechte Evangelischer Fürsten in theolog. Streitigk. th. 14. §. 3. B. Stryckio de Juramentis, Melet. 1. c. 2. n. 2. Illustr. Böhmiero de Jure Paroch. Sect. 3. c. 1. §. 32.* (ubi juramentum hoc pro tortura habet) & *disp. de contractu non prælecto c. 2. §. 16.* quia per id conscientia laqueis irretiatur. Accipit examinatus literas *confirmationis* a principe. *Dn. Wolff. c. 1. L. 1. c. 5. §. 6.* & tandem a Superintendente ritu solenni ordinatur. *Carpz. c. 1. def. 48-53.* Recte monet *b. Gerhardus Loc. de minister. eccles. §. 169.* examen concioni probatoriæ præmitti debere, quia hac ratione inhabilis facilius & absque scandalo dimitti possit. *Conf. b. Brunnem. c. 1. L. 1. c. 5. §. 23.* *Ordinationem* habet pro institutione Servatoris nostri *b. Schilterus in Inst. jur. can. L. 1. T. 15. §. 2.* Si ea consideratur remotis particularibus & solennibus ritibus, omnino consentiendum est, cum ritus *νεγοδεστας* jam in  
 Vet.

Vet. Test. fuerit usitatus. *B. Ziegler. de Episc. L. 2. c. 9. §. 2.* Si vero ea consideratur ut solennis, & certis inclusa ritibus, tunc eam pro pio quidem & laudabili instituto, non vero pro præcepto divino, habent *Wolff. c. 1. L. 1. c. 5. §. 5. lit. d. Ill. Böhmer de jure Paroch. Sect. 3. c. 1. §. 20.*

§. 7.

6) Investitura.

*Investitura*, s. *introductio*, *die Einweisung und Einführung*, est ritus, quo *nominatus, electus, vocatus, præsentatus & ordinatus* per Superintendentem in publicum ecclesiæ conspectum producitur, eique officium pastorale publice mandatur. *Carpz. c. 1. def. 54. Brunnem. c. 1. §. 27. Mev. L. 3. Dec. 133. n. 7.* Per hunc ritum contrahi ministerium inter & ecclesiam vinculum aliquod conjugii, somniat perperam *Carpz. c. 1. & frustra provocat ad Nov. 123. c. 9.* qua episcopus sine licentia imperatoris aut patriarchæ ecclesiam suam deserere prohibetur, cum inde aliquod conjugii spiritualis vinculum concludi non possit. Hoc ex illa hypothese sequeretur absurdum: pastorem ad aliud officium pastorale nec vocari, nec translocari, nec duo aut plura officia simul administrare posse, sicut maritus polygamus

gamus esse, aut uxorem suam cum alia commutare nequit. Considerate igitur *b. Schilterus c. l. L. 1. T. 16. §. 12.* & verius est, ecclesiam non desponsari pastori suo, per hunc, velut *παγαγόμειον* vel *ἡὸν τῆς τοῦ Θεοῦ*, *Matth. IX, 15.* Christo unico. *Conf. Du. Wolff. c. l. §. 6. lit. i.*

### §. 8.

#### *Status controversiæ.*

Præmissis hisque generalioribus pervenimus nunc ad ipsam, de conditione matrimonii, vocationi pastorali adjecta, quæstionem, quam iterum in tres dividimus: 1) *an candidatus ministerii salvo jure eccles. incapessendo munere defuncti pastoris filiam vel viduam, neque tamen imperante aut suadente episcopo vel patrono, neque injungente aut cogente lege, sed ex mera, libera, & deliberata voluntate, & ex proprio liberrimoque instinctu, casto amoris affectu ductus, ducere possit, & an hoc matrimonium in jure ecclesiastico sit licitum?* 2) *an possit candidatus ministerii incapessendo munere ecclesiastico eam inire vocationem, quæ non aliter ei committit officium vacans, quam si defuncti antecessoris viduam vel filiam ducere velit, ita, ut si hanc repudiet conditionem, aut quamcunque ob causam implere nolit, is repellatur, & vocatio, sub hac con-*  
ditio-

*ditione facta, effectum suum non sortiatur? 3) An ea vocatio pro legitima habenda, qua quidem conditio matrimonii candidato offertur, ita tamen, ut si justas repudiandi matrimonii causas habeat, remissa hac conditione ad officium admittatur?*

## §. 9.

*Resolutio primæ questionis.*

Ad primam quæstionem ineptus essem, si negando responderem. Imo gratum Deo opus facit, qui viduarum & orphanorum curam habet, eorumque sustentationem in se suscipit, quod maxime fieri in ducendis iis nemo est, qui negat; erit quoque aliquando utile novo pastori, ejusmodi thori sociam eligere, quæ reddituum & prædiorum parochialium est peritissima, quæ rem œconomicam cognitam habet, quæ a teneris abhinc annis climati loci adsueta.

## §. 10.

*Resolutio secundæ questionis.*

Secus tamen sentiendum putamus de altera quæstione §. 8. proposita, ubi candidatus NON ALITER vocatur ad officium vacans, quam sub conditione matrimonii, quam si accidere justis ex causis recusat, statim repellitur, NEC ALITER admittitur.

B 3

Hanc

Hanc certe vocationem pro legitima nemo habebit. In primo casu proponitur candidatus, collato jam rite sibi officio, non ex imperio episcopi aut patroni, sed ex mera liberrimaque voluntate, viduam aut orphanam defuncti pastoris ducens; nunc in hoc casu prodit candidatus, ex imperio Superiorum maritus; ubi nulla alia ei relicta est libertas, quam ea: an officium una cum matrimonio necessario acceptare, an vero utrumque repudiare velit. Hac certe ratione quis vocatur non ad officium pastorale, sed ad matrimonium, non a patrono, sed a defuncti pastoris vidua vel filia. Hic exulat omnis affectus maritalis, quippe qui libertatem præsupponit; Hic vocatur quis non respectu habilitatis ad sanctissimum officium, sed respectu habilitatis ad matrimonium. Hic obtruditur ecclesiæ quilibet inidoneus; modo veneri litare possit, modo amore puellæ capiatur; hic non ecclesia vacans accipit pastorem, sed puella maritum; hic a Deo non sanctificantia & ministrantia, sed dona matrimonialia expectanda; nam, licet illa dona quis a Deo acceperit, ea minime sufficiunt, ut habilis habeatur ad officium pastorale; requiritur insuper, ut quis possit

Hanc

Hanc

possit



possit puellam amare, qui affectus amoris ad munus ecclesiasticum sufficit, habeat candidatus fundatam eruditionem, an superficialiam? veram an fucatam? sitne pius, nec ne? non interest, nec est necesse. Nam pii, eruditi, cordati, & omnibus sanctimonix ac ministerii donis a Deo instructi, repelluntur, si justissimam quoque repudiandi matrimonii causam habent, e. g. si puella ducenda male educata, deformis, vel, si ipse candidatus votum coelibatus præstitit, aut per naturam ad matrimonium inhabilis, &c. Summatim: in ejusmodi vocatione major (& tantum non unica) ratio habetur familiæ defuncti pastoris, quam tot animarum, a Christo pretiosissimo sanguine redemptarum; major ratio affectus maritalis, quam habilitatis ad tot animas pascendas. An hæc divina, an legitima vocatio? Talem vocationem conditionatam pro illegitima declarant *b. Bechmannus in Casib. Consc. c. 2. Art. 2. Cas. 2. Et theologi Viteberg. ap. Dedecken. Vol. I. P. 3. L. I. membr. 3. Sect. 1. c. 9. ibi: Gleichwie aber Kirchen-Patroni niemand eben darum, daß er die Wittbe oder Tochter freyen will, zum Pastoren vociren sollen, als solte sich niemand auch um solcher Ursache willen bestellen, sondern zuerst das Amt ihm*

ihm rechtmäßiger Weise vertrauen lassen, alsdenn  
 könnte er sehen, was bey solcher Freyhe halber vor-  
 zunehmen wäre, damit es nicht das Ansehen ge-  
 winne, und er selbst in seinen Gewissen sich nicht  
 betrübe, als ob er nicht um seiner Geschicklichkeit,  
 sondern um der Freyhe willen wäre befördert  
 worden. Conf. B. Stryckius de Jure liciti sed non  
 honesti, c. 3. n. 104. ubi inter alia ostendit: hanc  
 conditionem efficere, ut jus eligendi magis  
 penes defuncti pastoris viduas & filias sit,  
 quam penes Patronos. Reprobavit quoque  
 ejusmodi conditionatam vocationem *Incluta*  
*Fac. Jur. Halens. m. Jul. 1701. ap. Illustr. Bæb-*  
*mer. Jur. Paroch. Sect. 3. c. 1. §. 22.*

§. II.

*Resolutio tertiæ questionis.*

Sed ad tertiam nunc quæstionem pro-  
 gredimur, ubi vocatio itidem est conditio-  
 naria, & candidato injungitur matrimonium  
 cum defuncti pastoris vidua vel filia, ita ta-  
 men, ut, si justas repudiandi matrimonii cau-  
 sas habet, ob eas conditio illa remittatur, &  
 candidatus ad officium pure admittatur. Dif-  
 fert a. hic casus a reliquis duobus; a pri-  
 mo, quia in illo vocatio est pura, neque con-  
 ditio hæc candidato offertur, sed is proprio  
 instinctu in matrimonium; a secundo, quia  
 in

in illo conditio matrimonii ita est adjecta vocationi, ut, si eam implere nolit aut non possit candidatus, eo ipso vocatio tollatur. In hoc tertio vero casu relinquitur iusta rejiciendi matrimonium causa candidato. Hanc igitur vocationem pro legitima habent theologi & Jcti: Inter illos est B. Gerbardus: *nec inficias imus, (inquit) pastorum de ecclesia bene meritorum viduis ac liberis prospiciendum esse, sed cavendum, ne indigni ac minus idonei propter talia matrimonia promoveantur, nec ecclesia privetur sua libertate in vocandis idoneis ecclesie ministris, denique ex consuetudine, certis conditionibus limitata, lex quaedam introducatur, & successionum hereditariarum jura ad officiorum ecclesiast. constitutionem transferantur.* Apud Dedecken c. l. Vol. 2. Sect. 4. n. 9. In similem respondit Tarnovius sententiam ap. Dedecken Vol. I. P. 3. L. 1. membr. 3. Sect. I. n. 9. & theologi Vitebergenses *ibid. n. 10.* talem vocationem pro legitima declarant, addita clausula in §. præced. allegata, quos sequutus est Ludov. Dunte pastor Reval. *o managims. in Casib. Consc. C. 18. Sect. 2. qu. 11. ibi: und ist gleichsam ein accidens vocationis, (tale matrimonium) die vocation an ihr selbst bestehet in Wohlgefallen der Gemeine an den Gaben, welche sie an den Aufgestellten gefunden.*

C

den.

den. Ein accidens aber, so mit angehencket, ist, daß die vocation soll ihren Fortgang gewinnen, woferne ihm der Fürschlag annehmlich, daß er wolle die Wittbe oder Tochter freyen. Also ist die Ehe frey, und interim fallen eiusmodi tractatus für, qui præcedunt matrimonium, wie auch in libera magistratus electione solche deliberationes fürfallen. Und bleibet also die vocation legitima, ob schon solch accidens mit fürfalle &c. ubi in seqq. se explicat, & declarat, conditionem hanc immutabilem aut necessariam esse non debere. Consentit *B. Bechm. in Casib. Consc. c. 2. Art. 2. Cas. 4.* & legitimam esse vocationem, sub conditione matrimonii factam, putat, si 1) candidatus se aptum inveniatur ad munus, 2) a tota ecclesia proficiatur vocatio, 3) consentiat candidatus in matrimonium. Addit tamen, hanc conditionem in legem abire non debere, ut in §. præced. allegavimus. EICTorum numero addimus triumviros illos: *Finckelthausium, Carpzovium, & Brunnemannium*; Ille in *tr. de Jure Patronatus Eccles. C. 6. Qu. 38.* defendit hanc consuetudinem, permotus hisce imprimis rationibus: 1) quod ita consulatur familiæ defuncti pastoris; 2) inde etiam novo parochi haut exiguum commodum oriatur, quia

is

is plerumque reditus & agros parochiales non satis cognitos habeat, ideoque sibi maxime prospiciat, ducendo defuncti pastoris viduam vel filiam, rei familiaris illius parociae ut plurimum peritissimam. 3) Id exigat regula grati animi, erga defunctum pastorem significandi. 4) Fundatum sit ejusmodi patrimonium Iure Divino *Num. 38. v. 8.* Sequitur hunc *Carpz. in Iur. Eccles. L. 1. def. 42.* addit tamen quasdam cautelas: 1) ut vocatus ad ministerium sit habilis & idoneus, 2) in quem etiam tota consentiat ecclesia; 3) ut filiae v. viduae defuncti pastoris liber relinquatur consensus ad matrimonium, 4) idque etiam successor suo consensu libero approbet. Observatis hisce cautelis refert hic *ICrus* tale matrimonium ad jura foeminarum singularia, in *diff. de Iurib. Femin. singul. Decad. I. Pos. 9.* ubi quoque addit, cavendum esse, ne lex inde necessaria inducatur, nec successio- num hereditariarum jura ad officiorum ecclesiasticorum constitutiones transferantur. Tandem *B. Brunnemannus* subscribit huic opinioni his verbis: *sed in nostro ecclesiae statu vix aliter consuli potest viduis ac liberis pastorum, praecipue ruri, ideoque tolerandus hic mos est, si modo persona sit idonea ad docendum, & consensus sit li-*

BEROLIN

C 2

ber.

*ber. Iur. Eccles. L. 1. c. 15. §. 16.* Sed vero statim ab initio valde mihi displicet, hosce ICtos tale matrimonium pro conditione eligendi ponere. Ita *B. Brunnemannus* sic differit: *sed quaeritur: an consuetudo rationabilis sit, ut* **CONDITIONE HAC ELIGATUR, si defuncti pastoris viduam vel filiam in uxorem ducat?** Imo *Carpz. c. l.* præsupponit tale *jus singulare, ut ambienti parochiam vacantem NON ALITER pateat aditus, quam si unam ex illis duxerit in uxorem.* Certe hac ratione frustra hanc conditionem pro accidentali ventilat *Carpzovius*, cum potius pro substantiali ipse habere videatur, ideo, quod **NON ALITER** concedat electionem fieri, quam sub hac conditione. Si enim **NON ALITER** quis eligatur, quam sub hac conditione, tunc hæc conditio non est merum accidens, sed ipsam electionis substantiam ingreditur, alias enim posset abesse & adesse salva electione; sed non potest, si electio **NON ALITER** fiat, **NEC ALITER** valeat, quam si hæc conditio adsit & impleatur. Igitur conditio hæc est de substantia electionis, & frustra adduntur illæ cautelæ a *Carpzovio*, dico frustra, nam illæ locum non habent, si conditio hæc adest. Si enim quis **NON ALITER** pervenire potest ad paroeciam, quam per tale matrimonium;

nium; rarissime fieri potest, ut persona eligatur ad officium habilis, cum maxima, & tantum non unica, cura habenda sit de candidati habilitate ad matrimonium, sive sit habilis ad officium, nec ne? & ponamus: eligi personam ad docendum idoneam, inhabilem vero ad conjugium, tunc habilitas illa electi ad officium minime attenditur, sed licet hæc adsit, tamen repellitur ob deficientem conditionis effectum. An quis sibi persuadebit, totam ecclesiam in hanc conditionem consentire, quæ privatum, non publicum interesse pro fine habet? nisi dicamus, ecclesiam hic poni pro familia defuncti pastoris, ejusque patronis. Ab his enim, non ab universa ecclesia, proficiscitur hæc conditio. Si autem non tota ecclesia consentit in hanc conditionem, dici non potest: totam ecclesiam in personam ita electam consentire. Facile concedimus, defuncti pastoris viduam vel filiam in tale matrimonium liberrime consentire, id tamen non efficit, ut hæc conditio sit legitima, in primis, cum dici nequeat, liberum adesse candidati consensum ad matrimonium, ubi id inicitur ex necessitate conditionis. Si enim NON ALITER pervenire is potest ad officium, quam per tale matrimonium, tunc cogitur quasi, hoc inire. Et hac ra-

tione pontificiis quoque imputari non potest, quod cogant clericos, a matrimonio abstinere, cum hi pariter regerant, se non cogere aliquem absolute, quia, qui matrimonium inire vult, possit abstinere a clericali officio, ut ponderate observat *B. Stryckius disp. de lure Liciti sed non honesti c. 3. n. 108.*

§. 12.

*Cautela circa vocationem conditionatam ulterius examinantur.*

Cum igitur cautela ista, circa conditionem illam praesupposita, vix sint dabiles, & rarissime salva conditione observari possint, parum praesidii in iis inveniet ipsa conditio, quam nec Finckelthausii rationes suffulcire satis poterunt. Nam duae priores, a commodo ducendae uxoris & novi parochi sumtae, spectant ad privatum interesse, in constitutione officii divini & sacri minime attendendum, ubi animarum, pretiosissimo sanguine Christi redemptarum cura, minime vero viduae aut filiae defuncti pastoris sustentatio, & novi parochi utilitas oeconomica, unice respicienda. Tertia ratio a gratitudine erga defunctum pastorem, hunc plane non pertinet. Sicut enim novus pastor officium suum non a defuncto pasto-



pastore, sed ab Ecclesia accipit, ita non illi, sed huic, debentur hoc nomine gratiæ. Quarta ratio ex textu *Numer. c. 38. v. 8.* non probat, quod probare debet, cum a connubiis, intra limites stirpis contrahendis, ad matrimonia pastorum perperam concludatur. Illius enim legis divinæ erat hæc ratio: ne facultates stirpium minuantur, & ne stirpes confundantur; sed hæc ratio plane huc non quadrat, cum hic non adsint stirpes, nec dici possit, parochorum familias, quoad ordinem clericalem, inter se unum stirpem constituere, aut novum pastorem per assumptionem officii ingredi in stirpem defuncti pastoris.

## §. 13.

*Novum argumentum pro hac vocatione conditionata ponderatur.*

Sed novum oritur argumentum pro coloranda ejusmodi conditione, nimirum: vix aliter consuli posse defuncti pastoris viduæ & filiæ. *B. Brumm. c. 1.* sed respondet *B. Stryckius c. disp. n. 106.* magnum earum favorem esse, si ceteroquin ita vivant, ut favore dignæ sint, & non fastu & luxuria se omnium commiseratione indignas reddant, sed non magis ipsis, quam toti ecclesiæ, favendum esse. Hæc

*B. Stry*

*B. Stryckius*, qui alias difficulter a *B. Brunne-*  
*manno* dissentit. Quæ cum ita sint, asserere  
 non dubitamus, conditionem hanc vocatio-  
 ni adjectam illegitimam esse, & nullum alium  
 effectum habere, quam eum, quem habet  
 conditio moraliter impossibilis, h. e. pro non  
 adjecta habendam esse. Aliter enim consu-  
 lendum Ecclesiæ, aliter defunctorum pasto-  
 rum familiis; illi consulitur, si in eligendo  
 novo pastore hujus pietas & eruditio unice  
 respicitur; hisce vero, si jura miserabilium  
 personarum, quæ jam habent, eis admini-  
 strantur, proque eis sustinendis debita cura ha-  
 betur. Hoc optimo jure fieri posse puto, si  
 ex ærario Provinciali, aut bonorum Domo-  
 nialium sæcularisatorum redditibus (cum hi a  
 fundatoribus piis caussis fuerint deputati,  
 ideoque fundatorum intentioni nihil conve-  
 nientius, quam ex aliqua horum reddituum  
 parte orphanis & viduis prospicere & provi-  
 dere) aut ex subditorum steuris specialiter  
 imponendis, *Armen- oder Allmosen- Steuern,*  
*die besonders darzu von dem Principe und Land-*  
*Ständen angelegt werden können*, certa annua  
 stipendia ejusmodi personis miserabilibus  
 designentur & præbeantur.

\* \* \* \* \*


Kr 2867

ULB Halle  
005 366 399

3







25  
Kw 2867  
GOTTLIEB SLEVOGTH, D.

COMIT. PALAT. CAES. ET CVRIAE PROVINC.  
ADVOCATI ORDINARIJ, CET.


MEDITATIO IVRIS SACRI

DE

**VOCATIONE**  
**AD PASTORATVM**  
SVB CONDITIONE MATRIMO-  
NII, CVM DEFVNCTI PASTORIS VIDVA  
AVT FILIA INEVNDI.

Oder:

**Von der Vocation unter der Schürze.**



CVM CENSURA SUPERIORVM.

IENAE, APVD IO. FRIDERICVM RITTERVM,  
A. O. R. M DCC XXXIII.

Kw 2867